



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Expositio Decalogi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

EXPOSITIO DECALOGI.

TITISSIMA & saluberrima est meditatio Decalogi. Continet enim doctrinam tam copiosam & sublimem, vt nunquam sperari possit, quomodo exauriri possit. Quo magis infania illorum est, qui fingunt posse Legi Dei satisfieri, imo addunt, posse melius & meliora fieri, &c. Hæ voces non sunt humanæ, sed sparsæ à Diabolo, qui hoc sarcasmo illudit humano generi, lapsus ex sua dignitate & puritate. Cum enim Deus ostendit in hac Lege, ad quid condita sit humana natura, vnde lapsi sumus, in quas miseras ac tenebras deciderimus, Diabolus quasi illudens nobis, sparsit voces irrisivas exterruantes legem Dei. Sciant igitur pij hos errores Pharisæorum & monachorum non esse leues, & perant à Deo, vt nostris cordibus velum detrahatur, quod impedit, ne legem Dei propius aspiciamus, quam serio cogitemus, esse vocem Dei, longe maiora continentem, quam vt totam complecti possimus. Primum autem hæc quatuor de Lege cogitanda sunt. **P R I M U M,** Lex admonet, ad quid condita sit humana natura, & qualis fuerit hominis dignitas & puritas, in qua condita est. Talis enim futura erat humana natura, qualem huius describit, plena agnitione Dei, semper celebrans eum, semper obediens, semper in omnibus operibus eius præsentiam & gubernationem intuens, nullum ordinem in omnibus actionibus obseruans, sine illa præua cupiditate, sine vllis calamitatibus, sine morte. **S E C U N D O,** monet nos lex de præsentia miseria. Iam enim videmus naturam lapsam ex prima dignitate, pugnare cum lege, plenam esse temeritatem, & contemptum Dei, sine ordine, plenam prauarum cupiditatum omnium generis, & peccatum causa est mortis, & infinitarum calamitatum. Nec tamen intelligimus iam miseriam nostram, nec Legem vere studimus, nisi cum in veris terroribus, aut pœnis agnosceamus iram Dei aduersus peccatum. Hic aliquantulum incipimus intelligere iram Dei, & humanam miseriam, Sicut Dauid clamitat, iram Dei sustineri non posse, si Deus velit peccata pro merito punire: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et plura sunt de his peccata in singulis, quam conspici possunt. Obserues autem omnia hæc dicit: Quis sustinebit? Nullius est robur tantum, quod possit sustinere humanas calamitates, quæ sunt pœnæ peccatorum. Sicut Dauid sensit pœnas adulterij sui, cædes filiorum, filij seditionem, polluta incesto coniuges, exilium, stragem civium, & alia infinita mala. In his pœnis didicit hunc versiculum: Quis sustinebit: Et tamen hæc præsentia mala ne quidem comparanda sunt ad æternas pœnas. Ideo quoties hunc versiculum recitamus, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit: cogitemus veram & incon-

incomprehensibile esse iram Dei adversus peccatum, aspiciamus Legem, & agnoscamus nostram immundiciem pugnantem cum tota Lege, cogitemus quæ moles pœnarum imposita sit generi humano, intueamur nostras & communes calamitates, & oremus Deum, ut mitiget iram, quam nemo sustinere & perferre potest, quam si terat, succumbere homines, & perire necesse est in præsentibus æternis pœnis. Ita similia dicta Psalmorum admonent nos de veritate & agnitione peccati nostri ac iræ Dei & pœnarum.

TERTIO, Lex tacite nos admonet de reparatione humani generis, & de vita æterna: Significat item ad quantam præstantiam nos vocemur. Quia enim Deus reperit vocem legis post lapsum nostram, vult certe legem aliquando fieri: Erit igitur reparatio generis humani, erit vita æterna. Quia in hac vita videmus non factam legem. Sed doctrina de reparatione in promissionibus clarius proponitur.

QUARTO, cum sic consideramus, quanta sit miseria homini generis oppressi peccato, ira Dei, & morte, & intelligimus, quod legem illius esse sententiam, vinculum, testem & nuntiam illius ingratæ iræ, semper è regione aspiciamus Filium Dei, & consideremus gloriam, quæ sola sustinuit iram pro nobis, subjicit onus Legis, & placuit Patrem, & consideremus beneficium Filij Dei, quod excedit lætitiæ pro peccato. Sciamus item vocari nos ab ipso Filio Dei, & gratiam in nobis incoëtur hæc puritas in Lege descripta, ut infra suo loco dicemus.

DECALOGVS.

TABVLAE duæ sunt: Quarum prima continet opera, quæ immediate seu proprie cum Deo agimus, scilicet præceptum Dei, quod interiore & exteriori. Secunda continet opera erga homines, quæ etsi sunt vincula societatis humanæ, tamen sunt etiam iuncturae Dei. Quia Deus ea suo verbo præcipit & pronuntiat esse cultus Dei. Quia Deus ea suo verbo præcipit & pronuntiat esse cultus Dei, si fiant propter mandatum Dei, ut docet Iesaias cap. 1. Item cap. 58. & Samuel: Melior est obœdientia, quam victima. Osee 6. Misericordiam magis volo, quam sacrificium. Et Christus ait: Mandatum de dilectione proximi esse simile primo, id est, postulare obœdientiam necessariam, sicut & primi mandati obœdientia est necessaria. Hæc observanda sunt, ut discamus qui sint veri cultus Dei, & quæ omnium præceptorum opera ad primum præceptum referenda sunt, ac finis constituendus in singulis, eo facienda esse principaliter. Deo præstetur obœdientia & honor. Est enim cultus Dei, quod præcipitur datum à Deo, quod principaliter eo fit, ut Deo præstetur obœdientia & honor, ac sit cum agnitione Christi hæc fide, quod præcipitur Patri placeas. Sicut Petrus iubet offerre hostias spirituales, quæ Deo per Iesum Christum.